

Linn. Soc., Vol. I: 376.

<sup>1</sup> Här talas också liksom i föregående bref om *Genera plantarum*.

<sup>2</sup> JAN SWAMMERDAM, se Afd. I: D. 2, s. 43, not 3.

110.

VIRO

Excellentissimo, Experientissimo

DIOSCORIDI Ildo<sup>1</sup>

Maecenati suo omnium certissimo

S. P.

Ioannes Bartsch.

Ecquid cogitas? nonne cum ratione sufficienti crederes me mente captum; annon iure summo adfirmares, non alere terram vllum, qui me vinceret ingrato animo; numne iuste reiiceres eum, qui ne verbulum respondet ad litteras Tuas, sed dicam rectius, qui ne minimas Tibi pro tantis beneficiis reddit grates. En hominem, quo peior certe non datur, et cum eo Tibi est res? Verum liceat et verbulo caussam meam agere. Scisne, Vir Excellentissime, ast quid hoc? Scisne, Fautor Optime, quid boni praestiteris? Certissime iuro per Te, quem amo maxime, iuro Te nescire quid boni praestiteris. Tu forsán putas me loqui de itinere meo, aut de sparta Surinamensi. Quantum vero abest, Tibi vero debeo vitam, ne putes me delirare, Tibi debeo plus quam vitam, quid hoc? mentem sanam in corpore sano. Obtestor Deum T. O. M. me sine blandimentis dicere verissima. Non crederes Te me eripuisse ex miserrimo statu. Visne, vt haec demonstrém. Cogita ergo hominem, qui adeo defatigauit vires animae, vt omnia, quae legit, quae sciuit antea, ex memoria deleta inueniat, adeoque cerebrum ipsum iam vacillare videat; cogita hominem mox depictum tot futurorum repraesentationibus obrutum; Cogita eundem corrumpi feбри acuta cum putredine humorum, quam probauit lingua biliosis sordibus eousque obsessa, vt vix quid rubri superfuerit, annon ergo accedens halitus putridus loquebatur bilem in Ventriculo corrumpi; Cogita eundem caephalalgia cum debilitate corporis summa vexari; Cogita eundem olim adeo hilarem, nunc prae moestitia infinita ne ferre posse colloquia amicorum, immo quod plus et vitare debere lectionem eorum, quae mox vt notissima ei ab eodem exposci debent. Vidistine unquam magis deplorandum statum, quem ego, sint Deo gratiae actae ex intimis verissimae, sufferre debui, ex quo emersi. Si hisce fidem non habeas, testa-